



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes
Coloniae Agrippinae, 1657

Decretvm XXXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

lario ipsis inferviet; ad quem proinde omnes, tam Párochos, quam Ecclesiarum Provísores, recursum habere volumus.

DECRETVM XXX.

Monentur omnes Religiosi, tam Patres Monialium, quàm aliàs in Parochiis constituti, ut in habitu & tonsura regulari semper incedant, minimeque se à regulis absolutos esse existiment; & Patres Monialium curent, ut, singulis diebus Virgines Sacrum audiant. Volumus deinde, ut, servatà Concilii Tridentini constitutione, ter in anno offerant Monialibus confitendi libertatem, iis Confessariis, quos Nos, aut Vicarius Noster, singulis Monasteriis designaverimus; qui singulas seorsim interrogent, & de confessione cum iisdem agant, ne eæ, verecundiã ductæ, peccata aliqua reticeant. Monemus autem Superiores quoscunque, & huiusmodi Confessarios, ne Moniales dehorentur aut impediant; ne quandoque se alieni peccati aut sacrilegii participes reddant, & severam Deo reddere rationem cogantur, pœnasque in Bullis Pontificum contra impediētes incurrant.

DECRETVM XXXI.

Atque hæc sunt, quæ generaliter, pro hac vice, ordinanda duximus. Specialia, quæ ad uniuscujusque aut Ecclesiam aut personam, ex facta visitatione, comperimus spectare, singuli à Nobis expectabunt.

Leclis Decretis, moniti sive omnes, qui in prima Synodali Sessione, prioribusque habitis Synodis, professionem fidei nondum præstiterant, ut eandem modo præstent. Cum vero deprehensum fuerit, eam ab omnibus jam præstitam esse; Illustrissimus, signo dato, per Officialem, Synodum interrogari fecit, num adhuc aliquis quædam proponenda haberet. Omnibus vero tacentibus, Promotores Synodi, pro conclusione hujus, & indictione proxime Synodi, institerunt; reliquaque omnia, ad normam, ordinem ac modum Synodi prioris quintæ, peracta fuerunt; ipsamque Synodum proximam vernalem die quintâ mensis Martii, anni quinquagesimi secundi, habendam, indictum fuit; ac proinde hæc præfens, cum benedictione, dimissa.

Et quia ego Ioannes Brogberen I. V. L. & Collegiatæ Ecclesiæ SS. Ioannis Baptistæ & Evangelistæ Ratisbonæ Canonicus, & Pastor in Rimsloe, à supramemorato Reverendissimo & Illustrissimo Domino Præfide in Actuarium hujus sacræ Synodi deputatus fui, Decretorum Synodaliū promulgationi reliquisque in ea pertractatis interfui; idcirco iisdem Decretis, in fidem eorundem, propria manu subscripsi. Acta sunt hæc, anno à partu Virgineo M D C L I; Pontificatus sanctissimi Domini nostri Innocentii X, septimo; diebus, mense, & loco, quibus supra; præsentibus Venerabilibus & Eruditis Dominis, Antonio Sollinger & Nicolao Schaberg, Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Vicariis, ac respectivè Sacristano & Notario publico, testibus, ad hoc specialiter requisitis, & fide dignis.

IOANNES BROGBEREN I. V. L. Capellanus major Illustrissimi Osnabrugensis, & Actuarius causarum Ecclesiasticarum, ad hoc specialiter requisitus, subscripsit.